



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 109. Erat autem latro. v. 40.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

si vitium, spiritui carnem, mundum Deo, malitiam Religioni, decalogo peccatum, toties mortem vitæ, & Barabbam Christo præponimus, nullus certe nostrum est, qui si rogetur, qualia sint lux & tenebræ, Christus & Satan, cælum & infernus, gehenna & gloria: non confestim respondeat contraria esse adeo ut si bonum sit unum, alterum necessario sit malum, si rursus rogetur, bonæne sint tenebræ, Satan, infernus, ignis gehennæ, haud dubie respondeat hæc extrema malum esse, & his contraria longe esse optima: & tamen aliter eligimus sæpe, & practicè dicimus; Video melior proboque, deteriora sequor.

§. 109. *Erat autem latro. v. 40.*

Nec vero simplex erat latro, nec qui multo tempore latrocinia exercuisset in silvis & campis, sed in civitate ipsa Hierusalem, homicidium fecerat & seditiosus, quod hominum genus solet magis esse exosum, uti est perniciosum magis. Vnde credo, si alter nequior Barabba inveniri potuisset, Pilatus eum populo proposuisset, ut Christum liberare potuisset.

Vah indignitatem! Salvatorem mundi filium Dei in statera seu bilance cum prædone, sicario, ac parricida adpendi, neque tamen præferri: vere hic quadrat quod Propheta dixit: *Cum iniquis deputatus est: & illud, vermis sum & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* In Prælatione Barabbæ impletum est quicquid alias Dominus de suo contemptu per Prophetas conquestus est, sed & pro eo contemptu Dei nunc per hominem unum satisfactum est.

Gaudeamus igitur Christiani, non de iniuria fratris nostri, sed de hoc quod Deus tam piæ ex iniuria illa fecit culparum nostrarum medicinam. Habeamus ante oculos imaginem Domini pro nostra satisfactione contempti, ut habeamus illi gratiam per quem Deus Pater nobis dedit veniam, & quidem adeo copiosam.

## CAP. XIX.

§. 110. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum. v. 19.*

Cum Iudæi clamassent non Iesum sibi à Pilato dimitti velle in Paschate, sed Barabbam latronem; non salvatorem, sed interfectorem: non datorem vitæ, sed ademptorem, apprehendit Iesum sibi per Iudæos traditum. Sed quomodo apprehendit? multis modis invidiosus cedens in hoc Iudæis, quod cum ipsis maluit esse improbus, quam solo Iesu iustus & bo-